REGIAM DIGNITATEM AB ELECTORE BRANDENBURGICO

In Prussia nuper assumtam nihil in se habere, quod Juribus Regni Poloniæ Pactisque inter Illud & Domum Brandenburgicam olim initis repugnet,

Aut Regi & Reipublicæ Poloniæ fraudi & detrimento esse possit.

Anno MDCCI.

FAma fert, imò ex Scriptis publicè editis constat, esse nonnullos in Ser.ma Republ. Polona, qui Regium titulum, quò non ita pridem Serenissimus Elector Brandenburgicus insignitus est, ita interpretantur, ac si inde detrimenti aliquid ad Inclytam Rempubl. redundare possit. Qui error, cum arctissimum illud amicitiæ, conjunctionis ac vicinitatis vinculum, æterno fœdere utramq; inter Gentem constrictum, labefactare aliquo modo posset, ut ex omnium animis funditus evellatur, paucis, sed solidè demonstrabitur:

Adsumptionem istam Regiæ dignitatis.

Neque contra æternum Velaviense ac Bydgostiense Fœdus per Pacem Olivensem corroboratum, neque contra amicitiam ac conjunctionem in Eodem utrinque stabilitam.

Neque contra Jura & Interesse, ut vocant, Inclytæ Reipubl. ullo modo esse, quin potiùs Ejusdem quàm maximè interesse, ut Serma Respubl. Principem æterno fœdere junctum, ad exemplum Imperatoris ac aliorum plerorumque Regum, Principum ac Rerumpubl. Regem, quod sine ullo suo detrimento facere possit, imò ut faciat ex legibus fœderis, quô alter alterius honorem ac commodum quærere tenetur, obstricta sit agnoscat.

Vix credibile videri meritò debet, esse quenquam Status Europæ publici adeò rudem, quem fugiat, qua ratione Domus Electoralis Brandenburgica per Pacta, quæ primum A. 1657. Velaviæ inita deinceps Bydgostiæ ratihabita & non multò post Olivæ in celebri isto Pacis Tractatu corroborata, summi & absoluti Imperii jura, in illam, quam possidet Prussiæ partem, consecuta, iisque ex eo tempore, nemine turbante aut contradicente, usa sit, eademque hodienum quietè exerceat. Quoniam tamen nonnulli non dubitavere, summum illud Domus Brandenburgicæ in certam Prussiæ Partem Dominium, potestatemque à nemine dependentem publicè oppugnare atque adeò affirmare:

ILlam partem Prussiæ, quam Domus Brandeburgica possidet, esse Reipubl. Dominium

& Hæreditatem, Electoremque Brandenburgicum Dignitatem Regalem ſuper iſtas Pruſſiæ Terras non potuiſſe ſine inſigni in Rempubl. Poloniæ injuriâ ſibi circumdare, neceſſarium eſt iſtum errorem inconcuſſis rationibus evertere:

Inficias equidem non iverim, iſtam ipſam, de qua nunc disquiritur Pruſſiæ partem, olim, ex eo tempore, quo Albertus Marchio Brandeburgicus armorum vi conſtrictus, & à Domino feudi, quem hactenus agnoverat, Imperatore ſcilicet ac Imperio deſtitutus, eandem à Regno Poloniæ in feudum recognoſcere fuit adactus, usque ad Fridericum Wilhelmum Electorem Brandenburgicum, fuiſſe feudum Regni Poloniæ.

Facile etiam id conceditur, ſi illis temporibus, & durante adhuc Vaſallagio Polonico, Ducibus Pruſſiæ viſum fuiſſet, Regium Titulum ſibi aſſumere, quod quidem fortè nihil abſurdi habiturum fuiſſet, certè exemplis non careret, ſiquidem & alii per Europam Reges numerantur, quorum Regna feudorum indolem habent & ab aliis Principibus clientelari jure conferuntur, id quod exempla Regnorum Neapolis, Siciliæ & Bohemiæ comprobant, Non potuiſſe tamen iſtius mutationis conſilium haberi ratum, niſi Rex & Reſpublica Poloniæ id ſuo conſenſu atque calculo firmaſſent.

Verum enim verò Pruſſia Brandenburgica inde ab Anno 1657. diverſam prorſus à priori faciem, naturamque induit. Illo enim Anno Rex, Johannes Caſimirus, qui tum in Polonia rerum potiebatur, tam ſuo quam ſucceſſorum nomine, ſuffragante ac plenè approbante Republica Poloniæ, Fridericum Wilhelmum, Electorem Brandeburgicum, omnesque Ejus Deſcendentes, Succeſſores Maſculos, per pacta ſolennia ac æterna, quibus tum temporis Reipubl. redintegratio ſalus ac ſecuritas reſtabilita & quorum firmitatem inviolabilem diverſi, iique maximæ per Europam autoritatis Principes ſuſcepêre tuendam Vaſallagii Jurisque feudalis vinculo, quo Elector, modo dictus, ac Ipſius Anteceſſores, à tempore primi Ducis Alberti, Poloniæ fuerant obſtricti, penitùs exſolvit atque liberavit, eisque univerſis ac ſingulis pro Dominis ac Principibus Pruſſiæ Brandenburgicæ ſummis declaratis, Poteſtatem abſolutam neminique mortalium ullâ ratione obnoxiam tradidit.

Eâ de re ne cuiquam ullus ſuperſit ſcrupulus, verba pactorum Velaviæ Anno jam indicato 1657. conſtitutorum hic ſubnectimus, quibus ea, quæ diximus, liquidò docentur, formulis quæ jam ſequuntur:

ART.

ART. V.

QVorum intuitu, & aliorum præſertim infrà ſpecificatorum, & aliis juſtis de cauſis, Ducatum Prusſiæ, iis finibus circumſcriptum, quibus Sereniſſimus Elector illum olim Jure feudali, ante hoc bellum exortum poſſidebat, Ipſe deinceps & Deſcendentes Ejusdem Maſculi, ex thorô Ejus legitimè procreati, indeque Deſcendentes omnes, donec quisquam ſupererit ex Deſcendentibus Maſculis S.æ Ser.tis El.lis, jure ſupremi Dominii, cum ſummâ abſolutaque poteſtate ſibi habebunt, poſſibebunt, regentque absque omnibus antehâc præſtitis oneribus.

De Pactorum jam allegatorum validitate ac vi obligandi, & quod eadem inter Regnum Poloniæ, Domumque Brandeburgicam Lex ſint Sacroſancta, inviolabilis ac æterna, quodque niſi fœderis aperti fracti, violatique opprobrium ac notam temerè quis velit ſubire, in iſtorum fraudem nihil agi, iisve contradici, nec quicquam illorum, quæ in iis ſtipulata ſunt atque promiſſa, in dubium vocari debeat, nemini, qui circumſtantias ſequentes expendere voluerit, ulla dubitandi relinquetur cauſa.

I.

Fœdus iſtud cum ſummæ abſolutæque in Pruſſiam Brandeburgicam poteſtatis conceſſione, quæ eodem fœdere comprehenſa eſt, non deſultoria tractatione, aut ſine graviſſimis ſufficientibusque rationibus, ſed quæ ipſorum pactorum verba ſunt, ideò à Regno Poloniæ decretum fuit atque initum, *quod Deo clementer annuente Serenisſimus Elector Brandenburgenſis ad ſinceram pacem & amicitiam, cum Sereniſſimo Rege ac Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithvaniæ, à quibus violento bellorum ingruentium ac neceſſitatis inevitabilis impulſu, invitus avulſus fuerat, feliciter redierit,*

ac

ac perpetuo fœdere ita se Serenißimo Regno Poloniæ & Magno Ducatui Lithvaniæ conjunxerit, ut mutuam utilitatem, commodum ac securitatem sincerè procurare ac promovere teneatur. Quod porrò Serenißimus Rex ac Inclyta Respublica probè perpenderint, tum pericula, quæ suæ Serenitati Electorali Terrisque Ipsius per ipsam separationem à partibus hostilibus imminebant, tum quanti intersit Regis ac Reipublicæ vicinum Principem justis devincire modis, tum imprimis, quanta quamque utilia Regi, Regnoque Poloniæ per effectivam & actualem armorum conjunctionem præstare sua Serenitas Electoralis deinceps poßit, tàm belli quam pacis tempore.

II.

Etiam hanc ob causam Pacta hæc eò sanctiora, eoque firmiùs obligantia habenda sunt, quod ea non isto tantum tempore, quo sancita fuere, à Rege Poloniæ & Senatoribus Ei assistentibus, sed à sequentibus quoque Regibus, Michaele, Joanne & nunc Regnante Augusto, quando auspicia Regni primitùs iniverunt, per Commissarios ex Ordine Senatorio & Equestri, mandatis ad eam rem necessariis instructos, juramento corporali in animam Regum, qui Ipsis hujus rei facultatem dederant, præstito sunt roborata; imò in Comitiis Reipubl. generalibus A. 1658. habitis, re in Conventibus particularibus ante proposita, deliberataque, nullo planè ex Regni Ordinibus repugnante, protestante aut contradicente, sed omnibus unanimiter consentientibus, lege publica approbata & confirmata.

III.

Tabulis etiam publicis inserta.

IV.

Insecutis dein Anno 1660. Pactis Olivensibus repetita. Nec minus.

V.

Ordines Prussiæ Brandeburgicæ non solum Pactorum Olivensium Articulo VII. hisce verbis: *Sua Regia Majestas atque Respu-*

Respublica Poloniæ hoc ipso exsolvunt Status Officiales, omnesque Prussiæ Ducalis subditos priori Juramento, quo hactenus illis obstricti fuerunt.

Sed postea quoque per Commissarios Anno 1663. à Rege & Republica Regiomontem missos, à dependentia & jurejurando, quibus eo usque Regi & Regno Poloniæ, ceu Domino suo directo, devincti fuerant, exsoluti, atque cum plenariâ subjectione ad Domum Electoralem Brandeburgicam, quamdiu quisquam ex Friderici Wilhelmi Descendentibus Masculis reliquus fuerit, remissi sunt,

Qua occasione

VI.

Nova formula Homagii, quod Ordines Prussiæ Brandeburgicæ

(1.) Principi suo Supremo & Territorii Domino &

(2.) In eventum saltem caducitatis Regi ac Regno Poloniæ præstarent, introducta & recepta fuit. Et Principi quidem ac Domino sub Supremo Electori nimirum Brandenburgico, quovis tempore successuro Status jubebantur sequenti jurejurando se obstringere:

EGo N. *promitto atque juro, me Serenissimo Principi ac Domino, Domino Friderico VVilhelmo, Marchioni Brandenburgico, Sacri Romani Imperii Archi-Camerario & Electori,* tot. tit. *Electori atq; Domino meo Clementissimo, suæque Serenitatis Successoribus,* juxta tenorem Pactorum Velaviensium, ceu soli, legitimo & immediato meo Hæreditario ac Supremo, *Duci Prussiæ fidem ac obedientiam præstiturum, Suæq; Serenitatis Electoralis Ejusque Hæredum salutem & commoda promoturum, Ejusdemq; ac Ipsius Terrarum ac subditorum detrimenta ac incommoda pro virili mea parte & quantum in me situm est, anteversurum, præmoniturum ac submoturum, sicuti fidelem, probumq; subditum decet: meq; nulla prorsus re, quamcunq; humani vis ingenii cogitando reperire queat, ab hoc animo abductum aut impeditum iri, omnia fideliter & sine dolo, ita me Deus adjuvet per Jesum Christum!*

B Regno

Regno vero Poloniæ hac Jurisjurandi formula Ordines Prussici jussi sunt se obstringere:

EGo N. juro etiam quod existente casu, quo Suæ Serenitatis Electoralis Hæredes, ex Ipsius sanguine procreati, non amplius futuri sint, adeoq; tunc possessio Ducatus Prußiæ ad Suam Regiam Majestatem & Regnum Poloniæ redierit, Ego tunc ET NON CITIUS juxta tenorem Tractatuum inter Suam Regiam Majestatem & Serenitatem Electoralem die 19. Septemb. 1657. initorum, Regiam Majestatem, Regesq; successuros & Rempublicam Poloniæ pro solis, legitimis & immediatis Dominis meis per inde ac reliqui Regni Indigenæ, agnoscam. Ita me Deus adjuvet.

Qui utramque hanc jurisjurandi formam inter se conferre voluerit, facilè in hæc duo Capita Nobis cum consentiet:

(1.) Vi istius jurisjurandi præsenti hoc tempore, & quamdiu Electoris Friderici Wilhelmi Posteritas durabit, Eam solam summum Dominum Prussiæ Brandeburgicæ esse, &

(2.) Indigenas Prussiæ Brandenburgicæ tunc demum, quando Electoris Friderici Wilhelmi Descendentes masculi desinent, neque *id citiùs*, Regnum Poloniæ pro Domino suo debere agnoscere; Quamdiu verò quisquam istorum Descendentium superfuturus est, Dominium, quod Regnum Poloniæ in Prussiam Brandeburgicam olim cum nexus feudalis adhuc duraret habuit, sublatum abolitumque esse.

Monendum hic simul est, ista jurajuranda non à sola Aula Brandeburgica propria autoritate, & clanculum ita concepta ac formata, aut clam absque rescitu Regni Poloniæ præstita esse; Minimè id quidem, sed mutatio ista facta est, & juramenta dictâ jam ratione sunt præstita, consentientibus, approbantibus ac præsentibus Commissariis, ad istum Homagii actum à Rege & Republica delegatis, fueruntque hi Commissarii in primo, quod post obtentam supremam potestatem An 1663. Electori Friderico Wilhelmo præstitum est Homagio Dominus Johannes Stephanus Wyżga, Episcopus Warmiensis, & Dominus Johannes Comes in Lesźno Leszczynski, Pro-Cancellarius Regni, & in secundo quod post mortem Patris Filio Friderico An. 1690. tum Electori, nunc Regi præstabatur, Dominus Hieronymus Lubomirski, S.R.I. Princeps Curiæ Regni Mareschallus, & Dominus Stanislaus Szczuka, Referendarius Regni. Quo-

Quomodo ergo rebus his comparatis, ullo argumento probabili dici poteſt, Pruſſiam Brandeburgicam etiamnum eſſe Reipublicæ Polonæ Dominium & Hæreditatem? Ejusve Proprietatem ac Dominium directum ad Rempublicam Poloniæ pertinere? Vel hanc Pruſſiæ partem (ut nonnemo loquitur) ex ſola tantummodo benevolentia Domui Brandeburgicæ hactenus eſſe permisſam?

Diverſi planè tenoris eſt Articulus V. Pactorum Velavienſium jam ſupra inſinuatus, qui expreſſum diſcrimen inſtituit inter jura illa, quæ Domui Brandeburgicæ olim in Pruſſiam competebant, & iſta quibus vi iſtorum Tractatuum ex eo tempore & deinceps gaudere debet.

Quæ olim in Pruſſiam habuit Domus Brandeburgica jura hiſce verbis indicantur:

Ducatum Pruſſiæ quem Sereniſſimus Elector olim jure feudi poſſidebat.

Illa verò jura, quibus ex eo tempore ac porrò Domus Brandeburgica in Pruſſiam frui debet, ſequenti modo ſunt expreſſa:

Ipſe deinceps *& Deſcendentes Ejusdem Maſculi omnes, donec quisquam ſupererit*, Jure Supremi Dominii cum Summa abſolutaque poteſtate ſibi habebunt, poſſidebunt, regentque *absque omnibus antehac præſtitis oneribus.*

Conceſsâ igitur atque traditâ Domui Brandeburgicæ per pacta æterna jam ſæpiùs memorata hâc in Pruſſiam Brandeburgicam poteſtate ac Dominio, nullâ prorſus ratione feudalitas ac dependentia, qua iſta Pruſſiæ pars Poloniæ adhuc innexa dicitur, cum ea conciliari, nec verba reperiri poſſint, quæ clariùs iſtis ipſis doceant, Dependentiam iſtam ac Feudalitatem veterem, quamdiu Electoris Friderici Wilhelmi Deſcendentes Maſculi adhuc ſuperſunt, ſublatam, extinctam atque abolitam eſſe, &c. Quoniam de Domo Brandeburgica in Articulo, cujus aliquoties jam mentio facta eſt, dicitur: *Quod Pruſſiam Brandeburgicam Jure Supremi Dominii ſibi habere & eam cum Summa abſolutaque poteſtate*

re-

regere debeat &c. consequitur, eam in Dominio & patrimonio alieno esse non posse; Rem etenim aliquam Jure Supremi Dominii sibi habere, nihil aliud est aut significat, quam esse Ejusdem Dominum aut Proprietarium; quamvis ista proprietas ac Dominium existente certo casu tollatur & ad alium devolvatur, quod tamen, antequam casus ille accidat, proprietati ac Dominio Ejus ad quem istud tantisper pertinet, ne hilum quidem derogare aut detrahere potest.

Pactis equidem Bydgostiensibus hæc verba inserta sunt:

Quod ex tradito à Republica Poloniæ, Electori Friderico VVilhelmo ejusque Descendentibus, absoluto Dominio, non sequatur perpetua feudi alienatio.

Nec id â quoquam negatur, Interim ex eo pronâ, justâque interpretatione necessario sequitur, factam esse Pactis Bydgostiensibus alienationem feudi temporariam, quâ videlicet nexus feudalis & ex eo oriunda dependentia, quamdiu Electoris Friderici Wilhelmi posteritas mascula superstes erit, sunt abolita, adeò ut nonnisi extinctâ istâ posteritate debeant reviviscere, & hoc est, quod â Domo Brandeburgica tantummodò urgetur, quippe quæ saltem ad id usque tempus quo Friderici Wilhelmi Descendentes masculi exstabunt, summam absolutamque in Prussiam Brandeburgicam potestatem ex clara æterni fœderis dispositione, adeoque jure optimo sibi vindicat & adserit.

Quod si ergo hæc omnia immoto fundamento nituntur, sicuti per hactenus dicta & deducta evidentissimè est Demonstratum, sique Electoris Friderici Wilhelmi posteritas, quamdiu eam durare propitia fata siverint, Prussiam Brandeburgicam cum summa absolutaq; potestate possidet ac regit, consequens est, ut Ei quoque liceat titulum Ducis Supremi, quo hactenus Prussiam suam complexa fuit, in Nomen ac Titulum Regis mutare, eumque Titulum Regium ab Aliis sibi datum atque oblatum acceptare; Siquidem

1. Hæc agendi libertas & facultas intradito per Pacta Bydgostiensia Supremo Dominio Summaque ac absoluta potestate simul comprehensa est, &c. Quæ enim quæso, plena, summa, absolutaque potestas ea esset, quæ facultate novos honores sibi adrogandi, & ab aliis oblatos acceptandi sit destituta? Meritò sanè censendum est, ista verborum emphasi contineri omnes actus, quoscunq; unquam Princeps summus ac independens in suis terris exercuit, qui quidem nec in sese injusti quicquam habeant, nec juribus aliorum quæsitis ullo modo derogent; quorum utrumque de assumta in Prussia Regali Dignitate dici nulla ratione potest.

Quod

Quod verò temporibus tam antiquioribus quàm nuperis hi, qui in Regione aliqua Supremum Dominium cum summa absolutaque potestate habuerunt, Domini, Ducis Comitis vel alio ejusmodi titulo, propria autoritate, proque suo lubitu deposito, illius loco Reges sese nominaverint, Regiumque Diadema sibi imposuerint, omnibus, qui historiarum non prorsus sunt expertes, constat.

Quamvis enim ex aliquot Seculis Imperatores, horumque exemplo Pontifices Romani, certum quoddam jus apellandi Reges sibi arrogaverunt multa tamen extant exempla diversorum Principum, qui etiam ab isto tempore, nullâ Imperatoris vel Pontificis Romani autoritate, sed virtute tantum Supremi in Terras suas Imperii ac summæ absolutæque potestatis sumto Regio titulo, coronari sese fecerunt. Castilia, Portugallia & exigua Algarbiæ Regio, Arragonia etiam, hac ratione è Comitatibus Regna fuere facta, & qui in illis Terris rerum potiebantur, Ipsi sese, non adminiculante aliorum autoritate, solius summæ potestatis sibi competentis vi, in Regiam Dignitatem evexêre: De Hybernia notum est, eam ante sesqui seculum adhuc Dominium Hyberniæ fuisse dictum, quo Titulo deinde Rex Angliæ Henricus IIX. propria autoritate mutato, Regem Hyberniæ sese appellitavit, nullo alio jure: quam vi competentis sibi in istam Insulam Supremi Dominii & absolutæ, Summæque potestatis, quibus omnibus Domus Electoralis Brandeburgica perinde ac simili prorsus modo ac mensura in Prussiam suam gaudet.

Et quo tandem jure, quove prætextu sustineat quisquam Supremo absolutæque Potestatis Principi obniti, quò minùs novum titulum Jure adsumat & ab aliis summæ potestatis Principibus sibi ultrò oblatum & quo Isti Eum judicavere dignum admittat, eoque utatur? Cum ergò diversi Potentissimi, Maximique Europæ Reges, Electores & Principes intra & extra Imperium Romanum, diversæ liberæ potentesque Respublicæ, &, qui primo loco nominandus erat, Imperator Ipse, qui gloriosissimorum suorum Antecessorum exemplo, nec sine fundamento, circa jus renunciandi Reges sibi prærogativam aliquam sumit, ultrò declaraverint atque obtulerint sese Electorem Brandeburgicum deinceps pro Rege habituros ac agnituros omnesq; cum ejusmodi Dignitate connexos honores pari cum reliquis Europæ Regibus ratione, non habito ullo inter Illos, Ipsumque discrimine, exhibituros, tùm Legationibus solennibus re ipsa exhibeant, Ipsius Legationes suis in aulis ceu Regias recipiant atque colant, nec præterea ulla in re cum Eo aliter, quam cum reliquis Regibus Europæis agant, sicut hoc toti Terrarum Orbi nunc certum est ac exploratum. Quâ quæso æqui justive specie quisquam hisce obni-

modolibet interesse potest: Cum Regium Diadema, quo olim Prußiæ hujus Nostræ Domini decorabantur, nuper postliminiò quasi Nobis re impositum sit, & inter cæteros Europæ Reges, Regiæ huic Nostræ Dignitati applaudentes, Serenißimus & Potentißimus Poloniæ Rex, Frater noster charißimus, factâ Eidem eâ de re notificatione, non per literas tantum, sed per suum quoq; ad Nos Ablegatum Extraordinarium, Illustrem & Magnificum Comitem Towiansky, Supremum Regni Pocillatorem, Nos pro Rege agnoverit & honores dignitati huic nostræ debitos exhiberi Nobis fecerit, Nos cupientes omnem scrupulum sinistrasq; opiniones, quæ Inclytæ Reipublicæ, propter Regium, quem nunc adepti sumus Titulum forsan moveri possent, optimo plenißimoque, quo id fieri potest modo tollere & sub movere, eum in finem non tantum Reg.ª Sª. Majestati certas extradiderimus literas Reversales tenoris sequentis:

Sequitur Assecuratio jam supra inserta:

SEd pro majori etiam prælaudatæ Reipublicæ Securitate denuò promittendum Eidem duxerimus, prout hisce fide, verboque nostro Regio pro Hæredibus Successoribusque Nostris futuris in Prußia Regibus spondemus & promittimus, Nos non tantum ea quæ prædictis literis Reversalibus, quarum novum exemplar omni quo id desiderabitur tempore Reipublicæ exhibebimus, continentur, Sanctè Servaturos, & Regia, quâ nunc gaudemus Dignitate, nunquam & sub nullo prætextu ita usuros esse, ut exinde quicquam quod Reipublicæ damnosum, pactis, quæ Eandem inter & Nos intercedunt, contrarium, aut ad præsentem Reipublicæ Statum ullatenus immutandum, juraque Ejus imminuenda pertinet, provenire poßit, Quin potiùs si hæc

Decla-

Declaratio Nostra cuipiam haut sufficiens videatur, de majore etiam securitate, Inclytæ Reipublicæ circa hanc Dignitatem Nostram præstanda, cum Eadem eo modo, iisq; conditionibus conventuros esse, ut exinde novum arctiusq; bonæ vicinitatis amicitiæ, mutuæq; salutis invicem procurandæ vinculum stimulusq; exsurgat. In quorum omnium fidem. Dab. Regiomonti die 21. Feb. 1701.

Neque verò Titulus Regis Prussiæ, quo Elector Brandeburgicus jam claret, eam vim eumque effectum habere potest ut isto jus in Prussia Brandeburgica succedendi, quod in casum caducitatis Regno Poloniæ reservatum est, non dicam, tollatur, sed ne minima quidem ratione imminuatur aut infringatur.

Ubi enim gentium reperietur Regnum in quo Successiones non sint in certos casus ad certas pactorum regulas restrictæ? quâ nimirùm ratione à Familia in Familiam, vel à Natione in Nationem debeant devolvi, eadem ratione, qua Successioni in Prussia Brandeburgica per Leges Pactorum Bydgostiensium inter Poloniam & Domum Brandeburgicam, inviolabilis modus præscriptus est.

In Regno Angliæ eo tempore, quo præsens Rex Wilhelmus in solium subvehebatur, constitutum est, ut si Illi, ex Conjuge Maria, quam tunc habebat, nulli nascerentur Hæredes, hujus soror succederet, & Regis proles, quam forsan ex alio Conjugio suscepturus esset, Sorori Reginæ, Principissæ Annæ Ejusque Descendentibus in Successione post haberetur. Et jam quoque Electrix Brunsvicensis Vidua denominata est, quæ Principissæ Annæ, si contingat Eam ut & Regem Guilielmum sine liberis vita excedere, in Sceptri Hæreditare succedat.

Quis autem Præsenti Angliæ Regi ideò Regni possessionem labefactare, vel hanc causam, cur Ille Rex vocari nequeat, allegare audeat, quod post ipsius mortem Regnum Magnæ Britanniæ in aliam quam suam familiam, atque adeò, si ita casum fata dispensent, ab Anglica ad Germanicam Nationem sit transiturum?

Regna, quorum supra mentionem fecimus Neapolis & Siciliæ, ut constat, sunt Feuda Sedis Romanæ. Si ergo accideret ut Ista familia, quæ illa hactenus à Sede Pontificia in Feudum recognovit, planè extingueretur, futurum esset ut illa Regna, possessore clientelari vacua, ad Ecclesiam Romanam reciderent. Neque tamen ex hacce ratione Pontifex aut alius quispiam Regum, Principum aut

Rerumpublicarum Regibus Hispaniæ, qui Regnum istud hactenus possedêre, titulum Regalem unquam reddidit dubium.

Quod si ergo Titulus ejusmodi Regalis potest dari, reque ipsa datus est, ejusmodi Principi, qui in præsentiarum Vasallagii nomine alii est obnoxius, idque vel ab ipso Domino suo Beneficiario, multò minori certe jure ac æquitate Titulus Regis oppugnari aut in dubium vocari potest in eo Principe, qui Terras suas cum summa absolutaque potestate, ceu Pacta Bydgostiensia loquuntur, regit & quæ Terræ tantùm certo, inque sinu Dei recumbente casu, hoc est post extinctam Electoris Friderici Wilhelmi Posteritatem, quod quidem an & quando eventurum sit valdè incertum ad Feudi naturam redituræ sunt Adhuc semel repetitur, Novum Regis Prussiæ Titulum, Domui Electorali Brandeburgicæ, si vicinos, ac præsertim si Regnum Poloniæ respicias, ne tantillum quidem amplioris juris, potestatis, autoritatisque afferre, quam Illa antea secundum Pacta Bydgostiensia habuit adeòque fore non tantùm injustum sed ridiculum etiam atque impium, si Is, qui Prussiæ Brandeburgicæ Regis titulo sive nunc præest, sive olim imperitabit, nomen Regium cupiditati suæ vel latum pedem Prussiæ Polonicæ ad sese pertrahendi, prætexat.

Distinctio illa quæ Prussia Polonica ac Brandeburgica sejunguntur futuro tempore perennabit perinde atque illa hactenus fuit, Prussia Polonica manet & manebit annexa Poloniæ, Brandeburgica verò Domui Brandeburgicæ, quamdiu Pacta Bydgostiensia eandem huic tanquam propriam attribuunt. Regnum Poloniæ retinet suum, quod habet, jus, certo casu in Prussia Brandeburgica succedendi; Contra verò Domus Brandeburgica ejusmodi jus in Prussia Polonica succedendi, ne minimâ quidem specie sibi potest vindicare, Eosdem fines, qui Prussiam Polonicam à Brandeburgica hactenus diremerunt, manere etiam imposterum necesse est, Domus Electoralis Brandeburgica ante acceptatam dignitatem Regalem ne vel animo quidem cogitatum jus in Prussiam Polonicam habuit, nec adoptatâ Dignitate Regali quicquam ejusmodi in illam est adepta, quod nec sibi expetit, quærit aut affectat, quin potiùs agnoscit, sibi vigore pactorum Bydgostiensium incumbere, ut ad conservandam libertatem Jura ac Privilegia totius Poloniæ, Prussiæque Polonicæ omnem quam potest, curam, studium & diligentiam conferat.

Consideretur & expendatur quæso, Titulos Imperatoris, Regis, Electoris Principis, Ducis, Marchionis, Comitis & Domini meros esse Titulos honoris, perque illos ne in eam quidem regionem in qua Supremus Magistratus ejusmodi nomine effulget, multò vero minus in Ipsius Vicinos & exteros, certam quandam potestatis aut jurisdictionis speciem significari aut acquiri. In Populo Romano

sæpè

sæpè emersêre Magistratus, qui sub nudo Principis nomine veros sese præstitere Tyrannos & alibi Reges eluxêre, qui veri Patriæ Patres fuerunt, Præsentibus quoque temporibus reperiuntur Reges qui in suis Ditionibus ne tantâ quidem potestate, quantâ alibi vel Comes in suo Comitatu pollent:

Quare ergo nomen Regium in Domo Brandeburgica adeò censetur formidandum? & quas ob causas isto audito deflectuntur animi in nescio, quas suspiciones, opinionesque sinisteriores? præsertim cum Is, qui in Ista Domo hocce Titulo decoratur, ex eodem, uti supra dictum est, tantùm novos quosdam honores, minimè verò novam aliquam aut ampliorem potestatem ne in suos quidem subditos, ne dum in Vicinos expetit ac sibi accommodat.

Omnibus mortalibus iste affectus congenitus laudeque dignus est habendus, ut suam quisque suæque familiæ conditionem ac Statum lautiorem, splendidioremq; reddere satagat, Exempla aliorum Principum qui prius tenues titulos gessere ac postea Dignitatem Regalem Domibus suis intulêre, nunqnam eam ob causam sunt reprehensa.

Quis est Nationis Polonicæ qui non nitatur sibi suisque insigniorem Honorem ac Dignitatem adstruere? Nonne hæc indoles animos erectos atque nobiles à reliquis secernit? Et cui in acceptis referet suam præ plebe prærogativam Nobilitas Polonica, nisi curæ isti, qua majores illorum cupidè elaboraverunt, ut sese ab infimæ sortis hominibus segregarent, inque altiorem honoris gradum ascenderent. Quo autem jure in Electore Brandeburgico vituperabitur illa generosioris animi indoles, quæ in Aliis habetur bona ac laudabilis, & in qua Imperatorem totque alios Europæ Reges, Principes & Potestates habuit applaudentes? præsertim cum, quod supra demonstratum est, ista cum nullius mortalium injuria aut molestia sit conjuncta concessis etiam sibi à Deo opibus quibus Regalem Statum debito decore ac splendore sustinere ac ornare possit.

Nec offendere quendam debet titulus ille: REGIS PRUSSIÆ ac si Elector per Eundem Prussiæ totius, ac inprimis etiam Polonicæ cupiat esse Dominus &c. Minimè id verò &c. Quæ enim superiùs scripto huic intertextæ sunt Declarationes, clarè perspicueque testantur, non fovere Regiam S.m Maj.tem hanc animo sententiam; Præterea id se invicem minimè consequitur ut Is qui sibi titulum alicujus regionis adaptat, velit esse totius Regionis Dominus solitarius, exclusis etiam aliis, qui jure sibi aliquam ejusdem partem vindicant.

Reges Galliæ atque Hispaniæ utrinque utuntur titulo Regum Navar-

Navarræ, licet uterque certam tantùm Regni Navarræ portionem possideat, nec alter in alterius partem jus ullum sibi vindicet.

Reges Sueciæ ac Daniæ ultrò citròq; se Regum Vandaliæ titulo appellitant, Elector Brandeburgicus & Duces Megapolitani ex utraq; parte Duces Vandaliæ dicuntur: nec tamen ideo ullus horum Principum metuit, ne reliqui, qui secum Titulum huncce usurpant, se à jure sibi in istud Regnum, Ducatumve Vandaliæ competente excludere velint; Imo in ipsa Polonia reperire est quosdam Magnates, qui titulum Principis Sacri Romani Imperii gerunt, quam tamen ob causam credibile non est, quenquam Eorum potestatem in totum Romanum Imperium sibi arrogare velle, ut silentio prætercam Reges quoque ipsos Poloniæ, insignioresque Reipublicæ Proceres Ducibus Prussiæ, istis quoque temporibus, quibus ista Regio Vasallagio Polonico subfuit Titulum Dux Prussiæ & Dux in Prussiâ promiscuè dedisse, probè gnaros, non in hoc esse situm rei momentum, nec Ducem ex tota Regione ideo sibi plus, quam pacta ipsi tribuunt, vindicare posse, sive isto, sive alio alloquio compellaretur.

Spes certa est fore ut nobilis Polonorum Natio, cujus prudentia, insigne ingenii acumen, & æquitas præ aliis gentibus orbi inclaruit, ex iis, quæ hactenus dicta sunt, facile perspiciat atque cognoscat, sollicitudinem, qua illa visa est ex acceptato ab Electore Brandeburgico Regio Titulo perturbari, inanem esse, omnemque mutationem, quæ in Regnum Poloniæ inde possit redundare, in hoc solo consistere quod Prussia Brandeburgica aliàs sub Titulo Ducatûs, si Electoris Friderici Wilhelmi Posteritatem masculam desinere contingat, ad Poloniam reditura, nunc Regni titulo ornata in ipsius sinum tali casu sit revolvenda.

Quod si tamen contra omnem spem adhuc aliquid dubitationis in Nationis Polonicæ animis maneat reliquum, nulla est ex Regiæ Suæ Majestatis Prussicæ parte mora, quin ab utrinque Delegatis quantocyus amicabile instituatur colloquium perceptisque quæ Polonia desideret aut expetat, ulterius ejusmodi proferatur Declaratio & securitatis præstatio, ut totus orbis, atque adeo vel illi ipsi qui ex hoc negotio, nescio quid sinistri extorquere aut privati sui commodi studio Poloniam ac Domum Brandeburgicam excitatâ inter illos diffidentia disjungere allabôrant, convincantur, nova hacce Dignitate à parte Regis Prussiæ nihil planè quæsitum, quod ad præjudicium aut detrimentum Poloniæ referri possit, sed Majestatem suam in Pactis Bydgostiensibus per singula illorum capita sanctè atque inviolabiliter perstituram, ea, quæ Pacta sæpiùs laudata Regno Poloniæ afferunt, illibata relicturam, eamque fidem, si quidem id necessitas videatur exigere, novo quodam vinculo, quantæcunque id firmitatis atque valoris in societate humana potest excogitari, roboraturam, atque præterea generosæ hujus Nationis emolumenta, libertatem, florem ac incrementum, omnibus à Deo sibi concessis viribus istuc conversis ac impensis quæsituram atque promoturam esse &c.

(o)